Quelle: https://manuscripta.at/?ID=6898
Copyright: Wien, Dominikanerkonvent

nostram. Juxta Apostolum scribentē ad
Galathas. cum vitijs ⁊ cōcupiscētijs no
stris. congruit enim nostre infirmitati. vt
qui deum crucifixi meditamur passionez.
reprimendarum carnalium voluptatum
l nobis crucem faciamus. Nihil est enī
qd̄ tm̄ terreat dyabolum. sicut arma pas-
sionis christi. quibus etiam victus ⁊ de-
bellatus ⁊ eiectus fuit. Ob ꝗ̄ rē vir do
ctissimus Origenes tantā esse inquit vim
crucis christi. vt si ante oculos ponatur ⁊
in mente fideliter retineat. ita vt in ipsam
mortem xp̄i intentus oculis mentis aspi
ciat. nulla ꝓcupiscentia. nulla libido. nul
lus feruor. nulla eam superare possit in-
uidia. sed continuo ad eius presentiaz. to
tus ille peccati ⁊ carnis fugatur exercit⁹.
m Quod diuus patens noster Augusti
nus in seipso experiens aiebat. Cum me
pulsat aliqua turpis imaginatio seu co-
gitatio. recurro ad vulnera christi. cū me
premit caro. recordatione vulnerū domi
ni mei resurgo. cum dyabolus parat insi-
dias. fugio ad viscera domini mei. ⁊ rece-
dit a me. Si ardor libidis moueat mem
bra mea. recordatione domini nostri filij
dei extinguitur. In omnibus aduersita-
tibus non inuenī tam efficax remedium.
ꝗ vulnera christi. in illis dormio secur⁹.
⁊ requiesco intrepidus. Christus mortu⁹
est pro nobis. Nihil igitur tam ad mortē
quod per mortem christi nō sanet. Tota
spes mea in mortem dñi mei. mors eius
meritum meum. refugiū meum. sal⁹ mea.
⁊ resurrectio mea. proinde in libro de vir-
ginitate nos fixe attenteꝗ ad christi cru-
cifixi misteria inspiciamus ita iubet. inspi
ce vulnera pendentis sanguinem morien
tis. precium redimentis. cicatrices resur-
gentis. caput habet inclinatū ad osculan
dum. cor apertum ad diligēdum. brachia
extensa ad amplexandum. totum corpus
expositum ad redimendū. hec quāta sint
cogitate. hec in statera cordis vestri appē
dite. vt totus vobis figuretur i corde. qui
totus pro vobis fuit fixus in cruce. Mē-
pesi hec ad memoriam reducantur. nihil
est tam durum. quod non equo animo to
leretur. parua enim vt inquit Cassiodor⁹
toleram⁹. si recordamur quid biberit ad
patibulum. qui nos inuitat ad celum. Il
le enim obprobria. irrisiones. cōtumelias. alapas. sputa. flagella. spineam coro-
nam. crucēꝗ sustinuit. ⁊ nos miseri ad no
stram confusionez vno fatigamur sermo-
ne. ille cunctas pro nobis pertulit affli-
ctiones. ⁊ nos p nobis exi guas ñ sustine
mus temptatiōes. Ipse temptari voluit.
vt temptationibus resistēdi nos doceret.
mortem subiuit vt nos a morte liberaret
gladiū ignēꝗ misit i mundum. vt dei an
gelorꝗ nanciscereminur pacē pati vndicꝗ
voluit. vt ⁊ vltro ⁊ citro impassibiles fie-
remus. quid plura. O inexplicabilē clemē
tiam. vniuersi dñs accepit formā serui. pa
nis exuriuit. fons sitiuit. lux obscurata ē.
virtus infirmata. vita mortua. redemptor
vendit⁹. vt his omnibus obnoxi⁹ hō liber
efficerē. Sed quid est qd̄ nobis ad banc
consequendā liberationem posset esse im
pedimento. nisi vt ingrati effecti tāti effi
ceremur martirij imemores. Quare frēs
mei quos vna animi cōplector leticia. nul
la nō dico hora. sed cuiuscūꝗ tēporis nō
pretereat morula in qua saluatoris nostri
non memorem⁹ passiones. cui⁹ memoria
vt astruere non vereor propugnaculū est
inexpugnabile omniū violentium aduer
sari. Meditemur summi dei erga nos
n ineffabilem beneficentiam misericordiaz
⁊ caritatem. Tanta est enim erga nos be
neficiorum magnitudo. vt lingua morta
lis illam explicare non possz. Nihil enim
ex nobis sumus. nullius meriti auctores
nullo premio remunerandi. sua tamē bo
nitate. ⁊ esse ⁊ mereri. ⁊ premium cōtulit.
⁊ non quidem esse solum. sed viuere senti
re moueri ⁊ intelligere. quib⁹ nō solūmo-
do cum lapidibus. cum arboribus. cū bel
uis. sed etiam cum angelis participes es
semus ineffabilium munerum bonitatis
sue. ⁊ nō angelis tm̄. sz sue maiestati nos
similes faciens. sua insigniuit imagine. q̄
dedit vt nō solum setui sed filij eius fiere
mus credentes in eum. Et in ipso crea-
tionis exordio in maxiaꝗ deliciarum pa
radiso hominē locuit. vt ibi viueret sicut
vellet. ꝗdiu seruaret qd̄ ipse iusserat. cibū
ei tribuerat ne esuriret. potum ne sitiret. li
gnum vite. ne illum senecta dissolueret.
viuebat prorsus sine pena. sine dolorib⁹.
sine quacūꝗ mala valitudine. ⁊ omnino
sine vlla egestate. sic item ei viuere in po-
testate dederat. vt posset non mori. si pia